



#### RES RELATA AD SANCTUM OFFICIUM

Adversus diversa decreta et adversus episcopi spem fore ut res oblivioni daretur, favor et studium augebantur. Oratio maxime pervulgata et in multas linguas versa erat. In diffundendis scriptis origo supernaturalis et veracitas nuntiorum certe suggerebatur, etsi addebatur "Ecclesiam rem nondum approbasse". Conventus fiebant in quibus animi fidelium magnopere movebantur quasi nuntii coelitus orti essent. Singulis hebdomedibus complures ad adorandum veniebant ubi imago per aliquod tempus posita erat (in sacello ecclesiae S.I. Thomae). Sumptus omnis propagationis suscipiebantur a devota femina ditissima, quae "vatem" etiam Romae videndam curavit illustri cuidam auctoritati ecclesiasticae. Recte vel iniuste illam auctoritatem (Rev. et Exc. D. v. Lierde) appellabant nonnulli fautores tanquam benevole ea de re iudicium fecisset. Episcopum, cum semper magis urgeretur, ut imago iterum in ecclesia poni sineret, sententiam Sancti Officii rogandum censuit.

Die secundo martii MCMLVII documenta patri Seb. Tromp S.I., consultori Congr. S.I. Officii missa sunt. Post dies undecim ita respondit:

Sanctum Officium:  
Suprema Sacra Congregatio  
Sancti Officii.

Prot. N. 511/53.

Ex Aedibus S. Officii, die 13 martii 1957

Exc.me ac Rev.me Domine,  
Haec Suprema Sacra Congregatio attente examinavit Documenta quae Excellentia Tua Reverendissima misit ad Sanctum Officium circa assertas "visiones" Dominae Idae PEERDEMAN et imaginem Beatae Mariae Virginis sub titulo "Dominae omnium populorum". Sanctum Officium gratulatur de sollertia et prudentia qua Excellentia Tua Reverendissima, pro Suo munere et officio, statuit ea quae opportuna in casu visa sunt, Teque certiore facit nullum recursum hac de re huc pervenisse.

Quod si in posterum aliquid hic occurreret, S. Officium non omittet id Teum communicare; ceterum amplae informationes a Te exhibitae sufficientem normam dederunt quo haec Suprema se gerere possit. Si autem fautores pseudo-visionis adhuc insisterint, ut imago dicta "Dominae omnium populorum" in Ecclesia iterum ponatur, Excellentia Tua nunquam id concedat. Interea quo par est obsecro meque profiteri gaudeo Excellentiae tuae Reverendissimae

addictissimum  
(sign.) Ioseph Card. Pizzardo, a Secr.

Exc.mo ac Rev.mo Domino  
D.no Jan van Dodewaard,  
Episcopo Harlemensi.

#### LIBER INTERDICTUS

Liber "Maria et apparitiones Amstelodami", edita a societate editoria "Pax", Jan van Nassaustraat 34, Hagae Comitatus, et scripta a dr. Lud. Knuvelder pulverem multum excitavit. Reverendissimus et Excellentissimus Dominus Huibers statim dr. Ludovicum Knuvelder rogavit ut obediret et sincere S. Congregationi se subiciat (dies ascripta non erat in epistola). Die vicesimo quinto iulii MCMLIX episcopus hoc responsum accepit:

Dr. Lud. Knuvelder  
le v. Swindenstraat 31  
Amstelodami, die 25 iulii MCMLIX.  
Tel. 020 - 56094.

Rev.mo et Ex.mo Domino  
J. P. Huibers,  
Episcopo Harlemensi, Harlemi.

Rev.me et Ex.me Domine,  
Referenti ad epistolam Tuam diei 22 iulii opus est mihi tantum, credo, repetere promissum meum dilucidum in fine secundi colloqui nostri factum: me perfecte obedire in omnibus punctis et respectibus, quibus et in quibus ad obedientiam obligatus sum. Interea qua par est reverentia obsecro

(sign.) Lud. Knuvelder.

Die 22 iulii MCMLIX episcopi Neerlandiae, petente S. Officio ad quod res relata erat, haec enuntiaverunt:  
Declaratio Episcopatus de pseudo-apparitionibus Amstelodami.  
Liber "Maria et apparitiones Amstelodami" doctoris Lud. Knuvelder (Hagae Comitatus 1959), quod secundum can. 1385 praevia egebat approbatione ecclesiastica, sed revera sine illa edita est, secundum can. 1399 putandus est inter eos libros qui ipso iure vetiti sunt. Intellegi potest post diversa dilucida decreta auctoritatum ecclesiae, quae veracitatem supernaturalem ebnuant pseudo-apparitionum, "imprimatur" dari non potuisse libro, qui a principio in finem originem supernaturalem propagat. Post decretum elucide propagare aliam sententiam. Quare S. Officium novo scripto diei 24 iulii 1959 docuit: "Ne autem opuscula per modum manuscripti edita super falso assertis revelationibus Amstelodamensibus in errorem fideles inducere pergant, necesse est ut etiam illa expresse prohibeantur", ne fideles in errorem diutius inducantur super

falso assertis revelationibus Amstelodamensibus, necesse est ut etiam opuscula per modum manuscripti edita expresse prohibeantur — quod hisce factimus.

Episcopi Neerl.

#### DOCTOR INCEPTUM NON DESERIT

In epistola diei decimi maii MCMLXI dr. Knuvelder ad Rev. mum et Ex. mum Dominum Dr. J. van Dodewaard, episcopum Harlemensem, scribit eum sibi praesenti promississe documenta de examine novo super "apparitionibus" Amstelodamensibus Romae eum propositurum et edisseriturum et redeuntem quid Roma dixisset, sibi nuntiaturum. E responso episcopi (diei 16 maii 1961) patet dr. Knuvelder episcopum male intellexisse. Episcopus Romam adit non ut documenta de examine novo proponeret, sed ut apud S. Officium de rebus diversis ipse se certiore faceret. Ex illis colloquiis patuit Episcopi sententiam rectam haberi, examine novo opus non esse neque optari quaestionis renovationem. Ergo omnia decreta S. Officii et enuntiatio episcopatus Neerlandici integre valida manent.

#### ETIAM PROFESSORUM NEERLANDICORUM PRECES REPUDIANTUR

Nihilominus fautores doctoris Knuvelder non cesserunt. Sanctum Officium male neque ab omni parte doctum fuisse perhibebant, litteras Sancti Officii non esse vera decreta neque vetitum necessarium continere, sed tantummodo bonum consilium Episcopo privatum, ceteris autem non valere. Post abdicationem Rev.mi et Ex.mi Domini Huibers (die 27 iulii 1960) iam die primo iulii ad successorem preces allatae sunt, ut nova inquisitio ab arte peritissimis super "apparitionibus" institueretur. Tales preces numero decem acceptae sunt usque ad diem secundum augusti. Postea (quando autem ignotum est) nonnulli professores theologiae beatissimum Patrem adierunt cum similis mentis precibus. E responso Sancti Officii ad Episcopum nomina eorum nobis nota facta sunt. Hinc verba accurata sequuntur:

Suprema Sacra Congregatio SANCTI OFFICII Prot. N. 511/53 (in responsione fiat mentio huius numeri).

Ex Aedibus S. Officii, die 25 augusti 1961.

Exc.me ac Rev.me Domine,  
Quattuor istius Nationis Professores, nimirum A. J. van Galen, Ord. Carm., qui Theologiam Pastoralem apud Aalsmeer; F.A.A. Schweigman O.P., qui Theologiam Moralem et Jus Canonicum Noviomagi; G. Liesting S.S.S., qui Theologiam Dogmaticam Noviomagi docet, et J. de Vreese S.J., Groningae, supplicem libellum subscripserunt et Beatissimo Patri porrexerunt, postulantes ut pro Sua Suprema Auctoritate novo examini subiciendam decerneret quaestionem de revelationibus quas a Beatissima Virgine Maria factas esse Dominae Idae PEERDEMAN ipsi, alique, contendunt.

Summus vero Pontifex libellum quidem omni cum benignitate excepit, sed praedictis quattuor Professoribus per hanc Supremam Sacram Congregationem responderi satagit, prout sequitur: Sanctum Officium, quod mature de hac re egit, per felicis recordationis Praedecessorem Tuum, nullam perspexit rationem cur apte discussa et coram Deo decreta retractande sint; immo vero, totam quaestionem ita clausam censet ut nullus pateat ulteriori actioni locus.

Rev. mos igitur Professores qui supplicem libellum miserunt, Summus Pontifex paternae per nos hortatur ut propositum postulandi novum examen, deserant omnino, quippe cum agatur de recipienda sententia Sanctae Sedis, debita prudentia et scientia lata. Unde non dubitamus quin praefati Rev.mi viri, pro amore quo afficiuntur erga Ecclesiam, huic responsioni parati sint ex corde acquiescere, quam Excellentia Tua Rev.ma eis significare non dedignabitur. Hanc occasionem nactus impensos aestimationis meae sensus Tibi obsecro meque cum omni reverentia profiteor.

Excellentiae tuae Rev. mae  
addictissimum  
(sign.) + Petrus Parente, ass.

Exc.mo ac Rev.mo Domino  
D.no Jan van Dodewaard  
Episcopo  
HARLEMEN.

Ut supplicantes quam rectissime et plenissime doceret, exemplar suprascriptorum verborum photographicum eis mandandum curavit. Haec verba addidit: "Confido te decretum factum accepturum ut definitivum atque auctoritate hua apud alios sustenturum". Quae spes eum non fefellerit. Omnes decretum Sancti Officii sine conditione et plenissime se accepturos enuntiaverunt, unus ex eis etiam "laeto corde".  
J. Ransdaal, Cancellarius Episcopi Harlemensis.  
Sigillum + Johannis + Episcopi + Harlemensis

Zuhanden unserer Theologen geben wir nachstehend die ungekürzten Originaltexte der bisherigen kirchlichen Stellungnahmen:

## MULIER OMNIUM POPULORUM

Durante anno MCMXLV in urbe Amstelodamo et mox extra hanc urbem fama cucurrit mulieri cuidam, 47 annos natae, nomine Idae Peerdeman, quae erat de parocia Sancti Thomae Patrum Dominicanorum in via Rhenani, S. Mariam apparuisse et "nuntios" quosdam revelasse. Qui nuntii litteris consignati per spatium tredecim annorum divulgati sunt ita ut die vicesimo quinto martii MCMXLV inchoarentur et finirentur die tricesimo primo maii MCMLVIII. Tota res 56 nuntios complectitur.

Universi nuntii huc redeunt:

1. Institisse Mariam, ut homines se venerarentur sub titulo novo: Mulieris omnium populorum;
2. item instituisse eam de promulgatione quam celerrima dogmatis Mariae ut coredemptricis, mediatrix et intercedentis;
3. flagitasse eam ut oratio quaedam cum effigie sua (ut mulieris omnium populorum) per universum mundum diffunderetur;
4. postulasse eam ut tabula pingeretur cum effigie tali qualis apparuisset. Quam tabulam ponendam esse in ecclesia, quae Amstelodami in honorem suum aedificanda esset et huius devotionis esset centrum;
5. quo facto Spiritum Sanctum et se sub tutelam suam accepturos esse mundum atque defensuros a corruptione, malis et bello et in lucem eorum veram pacem daturus.

In promptu est quaestio quid Ordinarius loci Rev. et Exc. Dominus J. P. Huibers de hac re senserit. Saepe facta renuntiatio sibi curavit et primores inter clerum quid senserint rogavit, inter quos erant Dr. K. Steur, theologiae professor, et Rev. et Exc. Dom. Van Lierde, episcopus (mense apr. MCMLII). E cuius responso intellegi potest facta eum non umnino abuisse. Ipse episcopus raro sententiam suam aperuit.

### TABULA PICTA

Henricus Repke, pictor Germanus, octoginta annos natus, paratus erat pingere tabulam muliere quadam divite pecuniam curante. Quae tabula ut parva imago prelo reproducta est cum oratione, quam Maria mulieri Peerdeman dictavisset. Verba huiusmodi erant: "Domine Iesu Christe, Fili Patris, emitte nunc Spiritum Tuum super terram. Spiritus Sanctus habitet in cordibus omnium populorum, ut custodirentur a corruptione, malis et bello. Mulier omnium populorum, quae fuit Maria, intercedat pro nobis. Amen."

Obtinuit oratio "imprimatur" modo ordinario. (Approb. Eccle. Harlem. no. 34, C.H. Meysing, Wassenaar, 20-6-1951. Censor ad hoc dep. — Imprimatur dr. F. A. Schweigman OP, Neomagi, 1-7-1951. Libr. censor.) Volventibus annis oratio in 22 linguas versa est et anno MCMLVII in 2.238.850 exemplaribus erat divulgata. Numerus maiorum imaginum typis editarum tunc erat 6.600.

Ipsa tabula picta parochia Sancti Thomae oblata est cum precibus, ut in ecclesia eam poneret. Iam in eo erat, ut tabula loco suo poneretur, cum diversi querimonias attulerunt. Quare episcopus die undetricesimo maii MCMLIV hoc publicandum curavit:

### DE IMAGINE ET ORATIONE MULIERIS OMNIUM POPULORUM

Quin beatissimam Virginem ut coredemptricem et mediatricem omnium gratiarum venerari liceat et illa regina sit caeli et terrae ideoque etiam omnium populorum, nullus fidelis catholicus dubitare potest. Imago mulieris omnium populorum bene explicari potest et oratio quoque bene potest intellegi. Quare permissio ecclesiastica pro usu privato olim negata non est. Non autem constat, immo gravi dubio obnoxium est orationem hanc et imaginem mirabili intercessione ipsius beatissimae Virginis ortas esse. Iudicium de eis exclusive pertinet ad competentem auctoritatem ecclesiasticam. Pendente inquisitione huius rei neque imago in ulla ecclesia aut sacello ponatur neque oratio publice dicatur; clerus et secularis et regularis omnino absteat illis rebus propagandis.

J. P. Huibers, Ep. Harlem

Inter alios, quorum sententiam Episcopus rogaverat erat doctoranda psychologiae, domina Perquin nomine, quae die tricesimo iulii MCMLIV, ut institueretur consilium ad hoc delectum, suavit.

### CONSILIUM EPISCOPALE

Quando Consilium hoc sit institutum, nusquam invenimus, verisimiliter aestate anni MCMLIV. Membra Consilii erant: Reverendissimus H. van Deursen, Seminarii maioris Praeses in Warmond, Reverendissimus doctor J. Willebrands, Philosophici rector, Rev. G. v. d. Burg, decanus Amstelodamensis, et doctorandus J. v. d. Gaag, professor iuris ecclesiastici, item ex Warmond.

Qui post studium diuturnum in conventu diei vicesimi iunii MCMLV hanc sententiam tulerunt:

"Libellus patris J. Frehe (in quo nuntii ad verbum exprimuntur) gravissime nos perturbavit. Nuntii illi coelitus oriundi non sunt. Tali modo beatissima Virgo nunquam adhuc se revelavit. Neminem quidem mala fide esse credunt, sed revelationes quomodocumque et causis naturalibus esse ortas. Suadent tandem, ut edictum, quo clerici huius rei se immiscere vetantur, publicetur".

N.B. Relatio plena invenitur in archivio episcopali.

Die nono iulii MCMLV verbatim repetitum est quod die undetricesimo maii MCMLIV erat promulgatum. Sola alinea extrema sic mutata est: "Cum per diversa scripta in mentibus hominum infigi possit opinio imaginem in ecclesia pendentem explicari posse velut si haec approbetur eiusque origo supernaturalis agnoscatur, hisce edicimus ne pendente quaestione imaginem ad publicam venerationem exponi liceat".

J. P. Huibers, Ep. Harl.

Die septimo maii MCMLVI Consilium sententiam definitivam pronuntiavit sententiae diei vicesimo iunii MCMLV persimilem. Eodem die Episcopus haec enuntiavit:

Respicientes nuntiorum sensum ipserum, respicientes condiciones quibus res sunt factae, nihil invenire possumus, quod modo naturali explicari nequeat et iterum atque iterum confirmet nos nova argumenta nullam esse rationem putandi hac in re originem supernaturalem adesse. Referentes ad ea quae in scriptis diei undevicesimi maii MCMLIV iam ediximus, consilium nostrum vindicare nunc cogimur, videlicet imaginem Mulieris omnium populorum publice venerari non licere. Item autem secundum can. 1399, §. Iuris Canonici Codicis plena auctoritate episcopali severissime vetare astringimur omnes et clericos et laicos aut divulgandis scriptis aut faciendis conventibus aut quomodocumque imagines et nuntios proponere tamquam sint originis supernaturalis".

J. P. Huibers, Ep. Harlem.